



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

2. An, quando tacetur dispensatio aliàs concessa?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

lis, siue major denegavit, obligor eam repulsam exprimere alteri equali, vel inferiori, ut licentiam eandem mihi concedat. Quod, si, in Regulis Societatis Nostrae dicatur, ut Subditus passus repulsam, eam, & ejus causam explicet alteri Superiori, si ab eo eandem postulat, consilium id est, & directiva instructio, non autem forma ad invalidandam licentiam, ut signatè pro nostra Societate docet Badi in *selecl.* l. 6. q. 12.

§. I. I. Quando tacetur dispensatio, alias concessa.

1. **H**ic sermo est, quando secunda dispensatio, quæ ponitur, est in eadem materia. Si enim in diversa omnes, ut Suar, de leg. l. 6. c. 23. Sanch. l. 8. mar. d. 22. n. 5. Castrop. l. c. n. 3. aliquæ conveniunt, opus non esse, meminisse prioris, fac, v. g. te impetrasse dispensationem illegitimi Natalis ad Beneficium acquirendum, deinde verò velis obtinere dispensationem Voti Religionis assumenda, quod tu fortè emiseras, non obligaris meminisse illegitimi Natalis dispensationem, cum hæc sit ab illa diversa, nec in ullo hanc officere possit, illam tamen.

2. Rursus sermo non est, quando prior dispensatio fuit propter aliquem defectum nulla; hujus enim mentionem facere, quando eandem impetrare validam velis necesse non est; ita Sanch. l. 8. mar. d. 22. c. 21. Vide Texedam ap. Dianam p. 8. r. 3. ref. 59. siquidem, si nulla fuit, nullum nunc effectum parere potest iuxta regulam Iuris, Reg. Non præstat, de Regul. Iuris in sexro; nec enim præstat impedimentum, quod de iure non sortitur effectum. His habitis,

3. Statue Regulam hanc. Quoties cognitio concessa in eadem materia dispensationis rationabiliter impediret dispensantem ad concedendam secundam dispensationem, toties ejus mentio fieri debet, quando hæc secunda petitur, ne gratia sit subreptitia: Quoties verò non impediret, non debet. Ratio Regule est, quia secus involuntariè concederetur gratia, atque adeo nulliter. Tunc autem rationabiliter impedire consuebitur, quando maior est gratia, concedere posteriorem posita concessione prioris, quam, hæc non posita. Cujus ulterior ratio est, quia concedens, ut voluntariè concedat, ipsam gratie substantiam debet cognoscere, teste Castrop. l. c. n. 5. cum Suar. & Pont. quantitatè gratiæ, quam concedit: in illa enim, quod non cognoscitur, voluntas nostra ferri non potest.

4. Sed explicemus, Regulam per exempla frequentia in re nostra, hoc est in dispensationibus Matrimonialibus.

Exemplum primum. Antonius obtinuit à Pontifice dispensationem ducendi Bertam consanguineam, deinde vult ducere aliam consanguineam, nempe Catharinam, obligatūne prioris dispensationem exponere Pontifici, ut valida sit hæc posterior?

5. Respondeo. Si prior dispensatio, quoad Bertam, adhuc viget, quia, v. g. Antonius mutato consilio vult aliam consanguineam, v. g. Catharinam ducere, obligatur prioris mentionem facere, quia, ex Regula data, ejus concessio, dum adhuc viget maximè impedit Pontificem ne secundam concedat, nunquam enim ipse tam exorbitantem, & magnam gratiam concedere intendit, ut quis habeat potestatem, seu libertatem ducendi hanc, vel illam consanguineam.

6. Si verò prior dispensatio effectum habuit, & iam cessavit, ut, si Antonius duxit iam Bertam, sed nunc est mortua, vel etiam, non quidem illam duxit, sed nunc parimodo est mortua, vel Professionem solemnem emisit, unde inepta est ad Matrimonium, non opus habet Antonius, ut habet Sanch. l. c. n. 13. Castrop. l. c. n. 7. Perez d. 46. *secl.* 3. n. 5. ap. Dian. p. 8. r. 3. ref. 55. petendo secundam dispensationem cum Catharina, prioris dispensationis meminisse, quia cum illa iam cessaverit, impedire non præsumitur Pontificem, ne ex nova rationabili causa novam dispensationem, quasi requisitam ab illa nova

causa, concedat; id enim non est concedere plures dispensationes simul, sed pluries, dispensationes, una post aliam, quod certe valde minus est.

7. Inquires. In casu quo non cessavit, & committitur ejus mentione impetretur secunda, quandoque ipsa, ultra debet esse invalida, quoniam illa erit, præterea, posterior?

8. Respondeo. Sanch. l. 8. mar. d. 22. n. 19. putat nullam fore priorem quia Pontifex non intendit concedere posteriorem, nisi priore exclusa, quem tamen nunciat Antonius dum posteriorem petit.

9. Verum ego non video, quia ratione Pontifex dat priorem, dum illius non recordatur, cum ex illa te gratis diceret Pontificem habere universalem potestatem non concedendi posteriorem, nisi intelligas ab ipso exclusam priorem. Nec item video, quia ratione renunciat Antonius, quia nullum actum renunciantem facit, immo etiam si faceret nulla esset renuntiatio, nec à Pontifice acceptaretur, ut de omni simili mentione docet idem Sanch. l. 8. mar. d. 32.

10. Melius ergo Castrop. t. 1. r. 3. d. 6. p. 264. ap. Suar. Pont. l. c. c. cum aliis sustinet, invalidam fore posteriorem, quia nunquam Pontifex intendit posteriorem concedere, quando perstitit prior, ne tantam concedere libertatem, & c. ut dictum est n. 5.

11. Exemplum secundum. Titius impetravit dispensationem de impedimento Criminis ob excommunicationem. Deinde, commisso iterum eodem crimine, petit hanc dispensationem de secundo Votiticio, obligatur mentionem facere prioris dispensationis?

12. Respondeo. Obligator, ut habet Sanch. l. 8. mar. d. 22. n. 20. Castrop. l. c. n. 5. Pont. l. 8. r. 17. cum illi nullitatis posterioris dispensationis. Ratio est, quia, qui impedit Pontificem, ne secundam concedat, cum illa difficilius est, secundo delicto gratiam concedere, quæ primò; Vnde, ut videatur, an Pontifex verò velit concedere iterum, debet internoscere, an antea, quæ illa concesserit. Nam rectè monet Textus L. 3. C. de Episcopali audient. V. Titus, de pen. temperand. cap. 4. r. 1. & Sanch. loc. c. n. 2. Remissionem venia criminis, quæ commissa non habebunt. Intellige in ordine ad futurum, & ad has extrinsecas gratias à Principe concedi solitas; aliud enim est coram Deo pro veritate.

13. Filius, r. 10. p. 2. de mar. n. 32. postquam de doctrina meminit, quia scilicet dispensatio prioris debet explicari debeat in petitione posterioris, addit verba: (sed hoc non potest recipi). Certe voluit, ut non tam ieiunè id dixisset, sed confirmasset validum, ego possem à mea resolutione, aliqua tandem ratione, discedere.

14. Exemplum tertium. Scius ligatus Voto Castrop. obtinuit dispensationem, ut posset Matrimonium contrahere semel tantum. Contraxit sed mortuo uxore, iterum uxorem ducere & quia Votum rediit, debet iterum novam dispensationem. Inquiri, ut hæc novam dispensationem non sit subreptitia, debetne mentionem facere prioris?

15. Respondeo cum Castrop. l. c. n. 7. & 7. esse probabilè, nequaquam debere. Ratio ducitur ex illis n. 6.

16. Exemplum quartum. Caius obtinuit dispensationem ducendi quandam suam consanguineam, sed nunc dubium, seu scrupulus illi suboritur, an ea dispensatio sit omnibus expensis legitima, quare supplicat deinde sibi dispensetur à Pontifice pro eadem consanguineam debetne prioris dispensationis meminisse?

17. Respondeo, non debet, si credatur Castrop. l. c. c. Sanch. l. c. n. 15. 16. quia si prior est valida, posterior non est necessaria, si autem eadem prior est nulla, cum nullum effectum habeat, perinde est, ac impetrem non fuisset. Addit Sanch. l. c. præterea, quando postulat impetranda non est amplior, quam prior.